



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 935. Quid veniat nomine capellæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

TITULUS XXXVII.

DE

Capellis Monachorum & aliorum Religiosorum.

Quest. 935. Nomine Capellæ quid veniat?

R Esp. nomen Capellæ à pellibus caprarum dici putat Gl. in *C. concedimus: de Consecrat. Dist. 1.* esse nomen francicum, quo significatur tegumentum, quod veluti tentorium extruebant Reges Francorum in castris audiendum sub eo sacrum ex Azor. *Inst. mor. p. 2. l. 3. c. 8. q. 1. & 2.* ait Barbof. *ad princ. h. t.* in jure verò canonico nomine Capellæ venit altare, aliquando Oratorium, sive sacra ædicula à templo sejuncta, vel ipsi templo annexa & adhærens, aliquando sacra ædicula intra templum constructa ferreisque aut ligneis clausa, unum vel plura continens altaria. Aliquando Capella dicitur quælibet Ecclesia etiam parochialis per se & seorsim existens, modò non sit collegiata ut Barbof. *l. c.* ex Gonz. *ad reg. 8. Can. Gl. 5. n. 70.* hic verò potissimum accipitur pro Ecclesia parochiali unita seu incorporata monasterio, sive Ecclesiæ regulari Pirh. *ad pr. h. t.*

Quest. 936. In Ecclesia parochiali seu habente populum cum annexa cura animarum unita monasterio seu Ecclesiæ regulari quis, à quo & qualiter præficiendus Capellanus & rector.

I. R Esp. primò dum ea unita est monasterio jure non pleno, sed tantum quoad temporalia v. g. quoad percipiendas decimas aliosve redditus, præficiendus ei non est unus ex monachis, sed præfici debet ei ab Ordinario de consilio seu consensu monachorum sacerdos secularis qui populum regat seu curam illam exercent, ita ut institutio seu ordinatio illius spectet ad Episcopum uti est depositio illius (cùm qui potest instituire, etiam potest & quidem facilius destituere ut Barbof. *l. c. n. 6.* Paris. *de resign. l. 7. q. 10. n. 11.*) & totius vitæ conversatio ab arbitrio hujus solius dependeat, nominatio verò seu præsentatio illius sola spectet ad Abbatem & conventum prout hæc sumuntur ex *c. 1. h. t. & c. 3. de præbendis*, ubi etiam additur quòd institutus in ea rector debeat monasterio, cui facta unio, reddere rationem pro dictis rebus temporalibus. Et juxta illud tenent Sylv. *V. relig. 7. q. 7.* Angel. *V. monachus. n. 5.* Rodriq. *qq. regul. tom. 1. q. 34. a. 4.* Vivian. *in ration. jur. Pontif. l. 3. pag. 364.* & alii quos citat Barbof. *ad c. 1. h. n. 1. & seq.* idemque asserit *de Off. & potest. Episc. Alleg. 72. n. 188.* quod idem dicendum, ubi jus solum patronatus citra factam unionem quoad temporalia competit monasterio, eò quòd generaliter loquendo ad quavis beneficia secularia etiam curata soli sæculares assumi & præsentari possint, etiam ab Episcopo, nisi ubi necessitas possit contrarium prout docent Felin. *in c. in nostra. de rescript. Garc. de benef. l. 7. c. 10. n. 20.* Covar. *in c. 2. de resam. n. 3.* Pirh. *h. t. n. 2.* de quo vide plura apud me *in for. benef. p. 2. de collat. benef. & inst.* Instituitus tamen in hoc casu Rector vel Vicarius perpetuus, ut Barbof. *cit. alleg. 72. n. 189.* Arg. *c. 31. de præb. c. 2. de privil.*

2. Resp. secundò idem est seu solus rector secularis in tali Ecclesia potest institui à solo Episcopo, monasterio habente solam præsentationem. Quorum ratio est. quòd dum parochia aliqua est unita etiam jure pleno, id est, quoad spiritualia & temporalia monasterio, cura non sit collata ipsi collegio seu conventui monachorum, cùm ibi sint, non ut curam exercent, sed ut regulariter vivant, adeoque cura non est unita monachis, sed potius Ecclesiæ eorum Pirh. *h. t. n. 2.* Barbof. *l. c. n. 2.* Verùm hæc *cit. c. 1.* Dispositio locum habet de jure antiquo. Hodiedum enim dum Ecclesiæ parochialis pleno jure unita monasterio, non prohibentur Abbates seu Prælati regulares ibi constituere Vicarium regularem ab Episcopo examinandum & approbandum ad curam illam exercendam, nisi in literis foundationis expressum, ut per Vicarium sæcularem parochia administraretur, vel nisi ex recepta diuturna consuetudine institui & intitulari debeat Vicarius secularis Laym. *in qq. can. de electione Prælat. q. 206. resp. 1.* Pirh. *l. c.* sic quoque statuit Trid. *sess. 25. c. 11. de regul.* ut in monasteriis & domibus tam mulierum quam virorum quibus imminet cura animarum præter eas, quæ sunt de illorum familia, personæ tam sæculares quam regulares hujusmodi curam exercentes in iis, quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem spectant, immediate sub sint jurisdictioni, visitationi, correctioni Episcopi, in cuius diocesi sunt sita, nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejusdem Episcopi consensu & prævio examine ab eo ejusve Vicario per examinatores synodales faciendum, exceptis quibusdam monasteriis & capitibus Ordinum, sive in quibus Abbates Generales seu capita Ordinum sedem Ordinariam principalem habent, quibus unitæ Ecclesiæ qualiter visitari non possint, vide me *in foro benef. p. 1. q. 209.* de quo Concilii decreto plura Rodriq. *l. c. q. 36. a. 4.* Ricc. *in pr. rerum fori Eccles. decis. 738. in 1. edit. & resol. 533. in edit. 2.* Campanil. *in diversor. juris rub. 12. c. 13. à n. 51.* Leo *in Thefan. fori Eccl. p. 1. c. 8. n. 20.* quos citat Barb. *in c. 1. h. t. n. 5.* Tamen autem per nullam consuetudinem aut statutum induci possit ut prælati inferiores Episcopo, aliive in dignitate constituti deponere vel amovere possint Clericos ministros in Ecclesiis curatis institutos & intitulatos ab Episcopo eidemque subjectos ut cum Franco *in c. unic. h. t. in 6. n. 2. not. 4. & n. 3. in fine.* Pirh. *h. t. n. 4.* posse tamen Prælatos inferiores Episcopo per privilegium vel legitimam præscriptionem non tantum jus instituendi sed & destituendi acquirere etiam privative seu excluso Episcopo, cum Gl. in *cit. c. unic. V. consuetudine tenent Laym. in Concl. Can. de jurisd. Ordinar. Concl. 77.* Pirh. *l. c.* De cætero dum in Ecclesia pleno jure seu quoad spiritualia & temporalia unita monasterio, ita tamen ut populus illius non sit exemptus ab Episcopo, sed ejus jurisdictioni spirituali subjectus, positus in ea Vicarius religiosus obedientarius hunc amovere possit Abbas seu Prælati monasterii. Ut Pirh. *h. t. n. 5.* est tamen talis obe-